



Virtutis Solidæ Præcipua Impedimenta, Subsidia, Et Incitamenta

Commentationibus Illustrata, Omnium Usui Aptatis. Quæ Servire Insuper
Poterunt Pro Argumento Concionum: Uti Et Considerationum Tempore
Exercitiorum; præsertim verò pro gemino sacræ collectionis triduo; prout
ex subjectis hunc in finem elenchis patet. [...] Partes Tres

Incitamenta

Bellecius, Aloysius

Ratisbonæ [u.a.], 1755

Caput I. De fide viva excellentiæ virtutis solidæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55553)



CAPUT I.

FIDES VIVA

DE EXCELLENTIA VIRTUTIS SOLIDÆ.

Qui virtutum solidarum excellitatem fide viva apprehenderit, hancque dein facta comparatione cum suis moribus contulerit, is aut emotæ mentis aut projectæ sit oportet, si ad hos corrigendos; illas verò procurandas se impelli non senserit. Ex quo patet, efficacissimum illam virtutis perficiendæ incitamentum esse. Cùmque præterea hæc fides ex mente S. S. Patrum (a) fundamentum perfectionis ac præcipuum ejus

A 2 acqui-

(a) Fides virtutum omnium stabile fundamentum est. Ambros. in Psal. 40. Fides est origo justitiæ, sanctitatis caput; unde omnis perfectio sumit initium. August. Serm. 137. de tempore.

acquirendæ instrumentum sit, meritò illa in fronte illius agminis collocatur, quod ad expugnandam hac in re, profligandamque voluntatis inertiam in aciem educimus. Itaque ob oculos ponam I. virtutis solidæ eminentem excellentiam; II. hujus fidei cum vita nostra enormem discrepantiam.

§. I.

Virtutis solidæ eminentis excellentia est.

f.
Summam
hanc esse
probat
judicium
DEL.

I. Cùm res mihi cum Christianis sit, qui cernuo assensu ultro fatentur, Supremum Numen ob infinitam omnium perfectissimamque notitiam errare, aut decipi neutiquam posse; certior à me regula, qua virtutis solidæ eminentiam dimetiamur, assignari nequit quàm hoc ipsum falli nescium adorandæ Divinitatis judicium. Cùm enim teste Psalmographo *judicia Domini vera, ipsaque equitas sint*, (b) tanti res necessariò valet, quanti Æterna Sapientissimaque illa
Mens

(b) Psal, 18. v. 10. & Psal, 118. v. 75.

Mens eandem valere judicat. Quod illa aliis omnibus præfert, id evidenter cunctis dotibus est anteferendum: quod ea primo loco reponit, id certò excellentissimum est. Ex his sequitur, perfectionem Christianam illud in æstimatione humana fastigium mereri, non quod insaniens mundus eidem delirando tribuit, sed ad quod illa Divini Senatûs consulto jure sublimatur. Ad hoc inconcussæ veritatis scutum quis nisi pertinax Atheus dissentiens caput allidat?

Jacto proin hoc fundamento, attenti jam ex Sacro Codice percipiamus, quænam igitur falli nescius ac omnia pervidens DEUS de probitatis excellentia foveat sensa? ut inde hujus pretium agnoscere, dignitatem æstimare, pulchritudinem diligere, aliisque omnibus præhabere discamus. Itaque *ô terra, terra, terra, quæ juxta intuitum hominum judicas*, (c) *audi sermonem Domini!* en! *hec dicit Dominus* (d) per Salomonem: *melior est*

A 3

acqui-

(c) 1. Reg. 16. v. 7. (d) Jerem. 22. v. 29.

acquisitio ejus (scilicet sapientiæ ; hoc enim nomine ab eo vera pietas insignitur) *negotiatione argenti , & auri : pretiosior est cunctis opibus : & omnia , qua desiderantur , huic non valent comparari. Lignum vitæ est his , qui apprehendunt eam : & qui tenuerit eam , beatus ;* (e) *infinite enim est thesaurus hominibus. (f) hæc ille. Jam verò si ita est , ergo (sequelæ firmitatem expendite) ergo omne aurum in comparatione illius arena est exigua , & tanquam lutum æstimandum est argentum in conspectu illius. Ergo regnis & sedibus est præponenda : & divitiæ nihil ducenda sunt in comparatione illius : nec lapis pretiosus illi est comparandus. (g) Divinis hisce oraculis quis contradicat ? tam legitimæ conclusionis quis evidentiam inficietur ?*

Præterea hæc dicit Dominus per Jeremiam Prophetam : non gloriatur sapiens in sapientia sua , & non gloriatur fortis in fortitudine sua , & non gloriatur

(e) Prov. 3. v. 14. & 18. (f) Sap. 7. v. 14. (g) Sap. 7. v. 8. & 9.

tur dives in divitiis suis: sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire, & nosse me. (h) Ergo practica sui Dei que notitia, in qua virtus posita est, omnibus mundi thesauris, cunctis heroum viribus, omni regum potentia, carnis prudentia profanaeque doctrinae ingenti intervallo est anteferenda; utpote qua sola suppeditat genuinae materiam gloriae. Quis sanæ mentis id neget? quis affirmanti hæc Spiritui Sancto pervicaci dissensu refragetur?

Quin imò (moderante linguam Numine) rem amplius exaggerat Gentium Doctor Paulus, hæc ad Corinthios scribens: *si linguis hominum loquar & angelorum: & si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia & omnem scientiam: & si habuero fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem (quæ perfectionis initium primusque gradus est) non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest: factus sum velut aes sonans, & cymbalum tinniens. (i)*

A 4

hæc

(h) Jerem. 9. v. 23. (i) 1. Cor. 13. v. 1. & seq.

hæc Apostolus. Jam verò si donum vaticinationum, linguarum, miraculorum, infusaque omnium intelligentia, quæ tamen opinione nostra bonorum præstantissima sunt, cœli iudicio nihil sunt, collata vel minimo gratiæ immanentis gradui, qui tamen genuinæ probitatis non nisi principium est; quid erunt reliquæ naturales prærogativæ, compositæ innumeris gratiæ ejusdem gradibus, quos in anima virtus perfecta supponit? Et his auditis reperire sic aliquem, qui hæsitanti animo dubitare, vel omnino inficias ire ausit, omnes naturæ, fortunæ, ingeniique decora ac ornamenta pietati solidæ immensa intercapedine posthabenda, ducendaque posterius esse?

Absit tanta intellectûs pervicacia, tamque amens voluntatis protervia. Cœlum intonuit: ergo paveat terra. Veritas locuta est: ergo fileat error. Loquentis infinita majestas cæcam exigit fidem. Taceat proin mundus, cedat ratio, pereat *sapientia seculi*, (1)

&

(1) 1. Cor. 2. v. 6.

& cœlesti effato subdola obgannire desistat. Excellens est sanctitatis præstantia: id dicit DEUS. Huic comparatæ dotes reliquæ nihilô minus sunt: id asserit DEUS; & quidem Sapientissimus æquè ac verax DEUS. Ergo talem eam esse, qualem judicat DEUS, cernuo assensu *omnis lingua confiteatur cœlestium, terrestrium & infernorum.* (m) Certè si nullum alium suppeteret argumentum, hoc dogma nobis virtutisq̃ue eminentiam persuadendi, sufficeret sola hæc certissimi Numinis id attestantis autoritas, & divinum de ea iudicium, omni humano infinitè præhabendum.

At verò suam hanc de sanctitudinis sublimitate existimationem Supremus Moderator orbis non tantùm verbis prodidit, sed etiam factis iisq̃ue plurimis demonstravit. Solùm aliqua ex his delibasse sufficiat. Agite! mentis oculos in hoc Universi theatrum defigamus, in eoq̃ue intueamur hîc Salomonem & Jobum: ibi Epulonem

A 5

&

(m) Eph. 2. v. 10. & 11.

& Lazarum: illinc Herodem & Joannem. ô quanta in his paribus disparitas! ô quàm discrepans in cœlo de iis opinio! *Salomon magnificatus est super omnes reges terræ divitiis & sapientia*; (n) contrà verò *Job, percussus ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem ejus, testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.* (o) *Dives Epulo induebatur purpura & byssò, & epulabatur quotidie splendide*; contrà verò *mendicus Lazarus jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis.* (p) *Herodes vestitus veste regia, & sedens pro tribunali, audivit populum sibi acclamantem: DEI voces & non hominis*; (q) contrà verò *Joannem, qui venit neque manducans, neque bibens, (r) tenuit, alligavit, & decollavit in carcere.* (s) ô quanta hæc differentia!

Illi summa habilitate ornati, potentia suffulti, opibusque ditati, velut
toti-

(n) 3. Reg. 10. v. 23. (o) Job. 2. v. 7. & 8. (p) Luc. 16. v. 19. & seq. (q) Act. 12. v. 21. & seq. (r) Matth. 11. v. 19. (s) Matth. 14. v. 3. & 11.

totidem soles in omnium oculis sublimes splendebant. Hi verò, licet sanctitate præstantes, tamen cunctis despecti, pauperes, miseri, sortis erant orbisque ludibrium. Hominum sensa si attendamus, nihil illis grandius: his abjectius nihil. Salomonis Sapientia, Epulonis abundantia, Herodis gloria, eorum sententiâ meritò adulanti errore super astra ferebantur. Contrà verò patientia Jobi, tolerantia Lazari, constantia Joannis jure infra lutum superbo calce deprimebatur. Hæc mundi de posteriorum virtute, & priorum naturalibus donis opinio fuerat.

At verò ô! quàm aliter de his senserat DEUS. Audite ô mortales! divinumque de his judicium proni adorate. En! in illa cœlesti curia Salomon malus, (t) Epulo stultus, (u) Herodes verò vulpes audiit: (x) ille à DEO abjectus, (y) iste *in inferno sepultus*, (z) hic *consumptus à vermibus*

(t) 3. Reg. 11. v. 4. (u) Luc. 12. v. 20.
 (x) Luc. 13. v. 32. (y) 3. Reg. 11. v. 11.
 (z) Luc. 16. v. 22.

bus exspiravit: (aa) omnes tres cum sua omni facundia, majestate, opulentia, rerumque noticia minimi in regno cœlorum, imò nulli habebantur. Contrà verò Job *homo simplex & rectus*: (bb) Lazarus angelorum ocellus: (cc) Joannes *major inter natos mulierum, & plus quàm Propbeta* (dd) æquissimo rerum Judici erat. Illi *benedixit Dominus*: (ee) iste *in sinum Abraha* est deportatus: (ff) hic martyrii corona redimitus. (gg) Omnes tres cum suis ulceribus, egestate, vinculis & ærumnis in oculis S. S. Triadis fulgebant *quasi splendor firmamenti, & quasi stella in perpetuas aternitates*. (hh) Nempe *quantum distat Ortus ab Occidente*: (ii) *quantum differt lux à tenebris*; (ll) tantum *judicio Numinis solida virtus super omnia naturæ decora, fortunæ bona, mentisque ornamenta exstat, eminent, excellitque*.

Conii-

-
- (aa) Act, 12. v. 23. (bb) Job. 1. v. 8.
 (cc) Luc. 16. v. 22. (dd) Matth. 11. v. 9.
 & 11. (ee) Job. 42. v. 12. (ff) Luc. 16. v. 22.
 (gg) Marc. 6. v. 29. (hh) Dan, 12. v. 3.
 (ii) Pfal, 102. v. 12. (ll) Ecclæ, 2. v. 13.

Coniice in unum eundemque hominem omnem Solonis prudentiam, Aristotelis philosophiam, mathesin Euclidis, Ciceronis rhetoricam. Finge eundem aulicarum artium mundi que dogmatum apprimè peritum, omni ad omnia habilitate supremo gradu excellere; atque ex inverso Amaltheæ cornu, opes & honores, peda & mytras, sceptræ & coronas largiter in eundem divite pluvia effundi; nihilominus probitate si careat, in conspectu Domini est *miser & miserabilis, & pauper & cæcus, & nudus.* (mm) Contrà verò, licèt cum Moyse balbus, cum Tobia cæcus, cum Ignatio claudus, cum Hermanno paralyticus forès: licèt cum Francisco pauper, cum Isidoro ignobilis, cum Wendelino literarum rudis esses; pietate si polleas, in illa curia aurum, gemma, sidus es: amicus Christi, filius DEI, hæres coeli es. Sola hæc gratum te Numini acceptumque reddit; sola hæc illa clavis aurea est, qua animæ ad intimum Sponsi conclave janua panditur.

Hujus

Hujus veritatis luculentum nobis documentum Lucifer est. Is teste Ezechiele (nn) *signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore in deliciis paradisi fuerat: omnis lapis pretiosus operimentum ejus: aurum erat opus decoris ejus: Cherub extentus, & positus in monte sancto, in medio lapidum ignitorum* is fuerat. Et tamen vix sanctitatem superbo ausu à se abiecerat; cum mox *rudentibus inferni è cœlo detractus, in tartarum traditus est, æternum cruciandus.* (oo) Omnis ejus intelligentia, decor, habilitas ac naturalis perfectio vindex justitiæ fulmen nec momento morari poterant. Quin imò cum omnibus suis naturæ dotibus miser modò & vilis diabolus est; quas DEUS etiam rebeli & damnato reliquit, ut orbi palam faceret, quàm nihili hæc omnia (sanctitudine viduata si sint) à Divino Senatu fiant. Et hinc illa non rarò prodigè conferuntur etiam *reversis ad vomitum canibus, etiam suis in volutabro lutis:* (pp) id est

(nn) Ezech. 28. v. 12. & seq. (oo) 2. Petr. 2. v. 4. (pp) Ibid. v. 22.

est hominibus, qui vivunt *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* (qq) ut inde discamus, quàm nullius momenti in lance Sanctuarii hæc omnia sint, nisi focia virtus eis pondus addiderit. ut intelligamus, quàm magna intercapedine genuina probitas hæc additamenta excedat; & quàm vera sit illa Thomæ à Kempis sententia: *melior est humilis rusticus, qui D E O servit, quàm superbus Philosophus, qui se neglecto cursum cæli considerat.* (rr)

O ! igitur quis mihi det, ut exarentur stilo ferreo, & plumbi lamina sculptantur in silice (ss) cordis nostri gemmea illa Sacræ Paginæ verba: quod hominibus altum est, abominatio est apud DEUM. (tt) item: *sapientia hujus mundi stultitia est apud DEUM.* (uu) Offensa cedro digna! quia ex illo volumine excerpta, quod Apocalypticus Vates *septem sigillis signatum vidit.* (xx) **Aures proin arrigite, quicumque sanctimo-**

(qq) Psal. 31. v. 9. (rr) l. i. c. 2. n. 1.
 (ss) Job. 19. v. 23. & 24. (tt) Luc. 16. v. 15.
 (uu) 1. Cor. 4. v. 19. (xx) Apoc. 5. v. 1.

Etimoniae excelsitatem terrestri decem-
 peda metimini, & profundè animis
 coeleste hoc oraculum immittite. En!
 quod vobis altum, grande & excel-
 lens est, id apud DEUM non solum
 vile, modicum, nihil: sed *abominatio*,
 sed *stultitia est*. Ita est, ô inanes va-
 nitatum aucupes! apud DEUM opum
 jactantia abominatio est: vana nomi-
 nis gloria abominatio est: superba re-
 rum notitia abominatio est: aulica
 calliditas, mundana dexteritas, astuta
 insinuandi se, magnificandi que peri-
 tia eidem stultitia est. Sola probitas
 acceptum ei sacrificium est. Solum
 illi sunt *beati*, qui mundo corde, pau-
 peres spiritu, *mites*, *pacifici*, *miseri-
 cordes esuriunt*, & *sitiunt justitiam*. (yy)
 Quod probrosum nobis, abjectum, &
 miserum est, id aeternae Mentis decreto
 gloriosum, felix, eminens est. Et hoc
 fidei dogma est, cui aequè parum re-
 fragari, ac Trinitatis mysterium in-
 ficiari licet. Ad hæc jam quis ani-
 mo sensus?

O Do-

(yy) Matth. 5. v. 3. & seq.

O Domine! magnificus in sanctitate,
 (22) ah! quis alius mihi quam pudoris erit, & timoris? pudoris ob culpam: timoris ob poenam. Si enim hæc non credidero, hæreticus sum, fidei Quæsitorebus extradendus; si verò credidero, nec tamen veriora de virtutis sublimitate sensero, amentis proterviæ reus sum, injectis merito vinculis castigandus. Ut ergo utrumque propitio sidere avertas malum, da, ut tuo huic de sanctitudine iudicio formula fide submittam meum.

II. Præterea eminentem pietatis II.
 excellentiam esse, ipse Christus vitæ ^{Exem-}
 exemplo demonstrat. Ideo enim in ^{plum}
 stabulo nasci, in latebris vivere, in ^{Christi.}
 furcam agi, & mori atroces inter cruciatus voluit, ut nos solidam virtutem omnibus aliis naturalibus donis anteferre doceret. Nam certum est, æternum Patrem omnia naturæ ornamenta in Servatorem nostrum plena manu congeßisse; huncque omnes angelos & mortales collectim sumptos perspicacia,

Pars III.

B

cacia,

 (22) Exod. 15. v. 11.

cacia, habilitate, ingenio & sapientia immensum superasse. Quis ergo non judicasset, eundem initio statim sui in mundum adventus virili statura praeditum, orbis athenaë, marium emporia, judicum tribunalia, principumque palatia constanti gyro lustraturum, ut diffusis ibidem scientiarum & facundiæ, æquitatis & prudentiæ radiis errores depelleret, mores corrigeret, jus induceret, scelusque profligaret; ut hac ratione novi Messiae nomen (tubam inflante fama) per omnes latè oras laudum encomiis celebraretur.

Et en! non solum infans in medio brutorum, in caulæ latibulo, aëris inclementiæ expositus, omnium egens, extra patriam nascitur; sed etiam adultior in humili officina potiore vitam partem ignotus, vilis, abjectus delitescit: fabri filius fabrilis tractat, & domus pauperulæ assiduus custos est & servus, *obediente DEO voci hominis:* (aaa) & erat subditus illis. (bbb) O
por-

(aaa) Josue 10. v. 14. (bbb) Luc. 2. v. 51.

portentum, ipsis etiam Cœlitibus obstupescendum! Verbum vagit, Sapientia balbutit, Fortitudo *primam vocem similem omnibus emittit, plorans.* (ccc) Illæ orbis creatrices manus pavimentum verrunt, scutellas lavant, segmenta colligunt. Ille, *qui appendit tribus digitis molem terræ, & librat montes & colles in statera,* (ddd) ligna dolat, fecat, glutinat.

O Superi! illud eloquentiæ miraculum elingue filet: illa artium cyclopædia tenebris sepulta jacet: illi scientiæ linguarumque thesauri altè defossi latent; & quidem tot lustris, triginta omnino annis defossi latent. Hæcque omnia ideo agit missus è cœlo Magister, ut majorem nobis de perfectionis excellentia æstimationem instillaret: ut falsam illam nobis ideam eximeret, quam de collatis à natura donis cum virtutis præjudicio fovemus: ut suo nos exemplo doceret, omnem nominis existimationem, omnem talentorum jactantiam, ac pedisequas

B 2

com-

(ccc) Sap. 7. v. 3. (ddd) Isa. 40. v. 12.

commoditates minimo pietatis actui, qui clam omnibus in orbis angulo à pia quapiam anima exercetur, ingenti intervallo posthabendas esse.

Et certè qui post practicam ejusmodi lectionem & exemplar tam vivum tamen adhuc ob nativas dotes suspici, aliisque præferri exoptat; qui istas inanitates magni facit, & præ sanctitate miratur, expetit, & prensat; is enimvero vel non credit, Christum ista egisse: vel malè eum hæc egisse judicat. Nam fateri, eundem hæc bene sanctèque fecisse, & quidem, ut nos illum imitaremur, fecisse; hæc, inquam, palam profiteri, & tamen adhuc virtuti solidæ ante reliquas naturales prærogativas principatum negare; quin & despectui eam, vel saltem neglectui habere; id profectò insignis dementiæ & dementis malitiæ indicium est.

Verùm ut de hac veritate ampliùs convincamur, oculos in Calvariæ cli-
vum conjiciamus; & postquam ibi-
dem

dem illud mare dolorum, illos profusi sanguinis rivos, illam plagarum copiam ac atrocitatem meditatè contemplati sumus, in finem inquiramus, ob quem unigena DEI Filius tot intervulnera & ignominias, tribus clavis suffixus, duos inter latrones medius exspirare voluerit? Ah! respondet Apostolus, ad Titum scribens: *dedit semetipsum pro nobis, ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* (eee) Ita est, reponunt *amarè flentes angeli pacis*: (fff) tam immania insons passus est, non ut homines divitiis, honoribus, commodis cumularet: non ut eos naturæ dotibus ditaret: non ut facundiæ fama, acuminis acie, doctrinæ eminentia ac mira habilitate exornaret; sed ut genuinam probitatem, mundi contemptum, & ærumnarum amorem eis commendaret, imprimeret, & inculcaret: ut mortales vel unicum etiam minimum cœleste donum cunctis naturalibus ornamentis, unum in cumulum conjectis, nil hæsitando discerent anteferre.

B 3

Hic

(eee) Tit. 2, v. 12. & 14. (fff) Isa. 33. v. 7.

Hic ergo jam adeste, quicumque dicitis malum bonum, & dulce in amarum ponitis: (ggg) qui spuria vanitatum luce excæcati, ejusmodi fortis ac animi decora lunato poplite adoratis; hic, inquam, adeste, & hac crucis mensura veræ pietatis super terrena hæc excelsitatem metimini. Audite Divinum Servatorem infami è stipite penfilem morienti voce nobis inclamantem: *discite à me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia & invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, & mortuos suscitare; sed quoniam mitis sum, & humilis corde;* (hhh) sed discite à me veram solidamque virtutem, quam ut vos docerem, tot cruciatus & injurias pertuli, sanguinem omnem vitamque profudi. en! *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* (iii)

Ex his modò quid concludam, percipite. Ergo vel Christus ineptum egit mercatorem pro re, nostra opinione

(ggg) Isa. 5. v. 20. (hhh) August. Serm. 10. de Verbis Domini. (iii) Joan. 13. v. 15.

nione, tam vili rem infinitè pretiosam, cruorem scilicet & animam, expendendo: vel perfectio omnino magnum, præstans, excellens, & reliquis rebus creatis eminenter sublimius bonum est. Ergo cùm mundus oppositum asserat, alterutrum decipi necessarium est. Ita est: aut Christum, aut mundum falli manifestum est. Christum hallucinari Divinitas vetat. Ergo mundum errare ratio dicitur. Conclusio evidens est. Ergo vel stulti sumus, hoc Christi exemplum adorando: vel impii, huic contraria sentiendo. Age jam ô anima! ad crucis pedem hic stans delibera, hasque consecutiones, amoto glaucomate, prudens expende. Nam argumenti vis clara, vehementis, & efficax est. Aut huic quid oppones?

O mi Jesu! quid opponam? evidentiæ rei vel ab invito assensum extorquet. Errat enimvero, ah! errat, & toto cœlo aberrat hominum mendax de sanctitate iudicium. Ah! nil magnum, nil altum, nil pretio dig-

num, nisi quod tale est apud DEUM. Numinis *judicium*, tuumque *exemplum* gemina sunt fundamenta, quibus incomprehensa perfectionis sublimitas luculenter demonstratur. Credo proin, summam esse virtutis solidæ excellentiam, eamque omnia ingenii & fortunæ dona eminenti intervallo superare. Credo minimam illustrationem supernam profanas omnes scientias, unicum pietatis actum naturales cunctas dotes, tenuem gratiæ radium omnes orbis thesauros, infimum gloriæ gradum omnes mundi honores ingenti intercapedine vincere, transcendereque. Hæc, inquam, firmiter ac indubitatè credo, quia Tu ô Summa Veritas! id nobis divino admonitu manifestasti. Sed *adjuva incredulitatem meam!* (III) quàm enim debilis ea vacillet, dum ejus praxis urget, ipse è cœlo cernis, ac tristis experientia nemini non palam facit. Ergo potenti dextera infirmo succurre, & da, *ut adjungam fidei recte vitam rectam, teque confitear & verbis*

(III) Marc, 9. v. 24.

*& factis: verbis quidem, vera dicendo;
factis verò, sanctè vivendo. (mmm)*

§. II.

*Hujus fidei cum vita nostra
enormis discrepantia est.*

I. **E**Quidem non adeò repugnanter credimus, quæ de virtutis excellentia sacrae Paginae memorant. I.
Id patet
ab indu-
sione.
Æstimamus illius dignitatem, pulchritudinem admiramur, necessitatem extollimus, utilitatem commendamus, felicitatem demum & gloriam ardentibus votis exoptamus. Fatemur, perfectionem esse illud in Evangelio celebratum drachma deperditum, illud margariton pretiosum, illum thesaurum absconditum omni impenso labore & sumptu quærendum, emendum, effodiendum. Ultro concedimus, omnes reliquas naturæ prærogativas illi collatas, non secus ac stellas Soli compositas, nebulae instar evanescere.

B 5

Quia

(mmm) August, Serm. 137. de tempore.

Quin imò eandem cernuo cultu adoramus in Christo, è cruce pendulam: veneramur in Sanctis, altaribus impositam: colimus in Piis, eorundem cineribus commixtam, ossibus & tumulis inclusam. Quando illa sacri Codicis oracula auribus nostris insonant: *beati pauperes spiritu: beati mites, pacifici, misericordes &c.* nobis crimini duceremus, de horum veritate vel leviter dubitare. Verbò: eminentem virtutis solidæ excellentiam esse: nihil pietate utilius, formosius nihil reperiri, famulo assensu prompti credimus, alacres profitemur. Verùm an huic fidei etiam vita? num his verbis etiam facta? an his principiis nostri etiam mores respondent? num facimus, quæ agenda credimus? Enimvero hic Rhodus, hic saltus.

Teste Gregorio Magno *vera fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit: ille verè credit, qui exercet operando, quod credit.* (a) num
à no-

(a) Hom. 26, in Evang.

à nobis hoc fit? an nostræ fidei etiam acta concordant? *Fides & bona opera* (ait S. Eucherus) *indissolubili vinculo connectuntur ita, ut ubi alterum desit, alterum pariter ruat, necessum sit.* (b) an apud nos talis connexio datur? num intellectus credendo, & voluntas agendo pari ambulant passu? Augustino *fides sine dilectione fides dæmonum est:* (c) Bernardo *fides, qua non operatur, cadaver exanime est.* (d) nec mirum; nam secundum Jacobi effatum *fides sine operibus mortua est.* (e) qualis nostra est? Agite, ad hunc lapidem Lydium eandem periclitemur.

O quàm timeo, ne etiam nos illorum è numero simus, qui *verbis confitentur, se nosse DEUM; factis autem negant.* (f) & quos plurimos reperiri Guericus Abbas testatur, dicens: *hodie quidem si de mysterio fidei interrogas, omnes ferè invenies christianissimos; si conscientiam discutias, paucos admodum*
inve-

(b) Epist. 2. parænet. (c) De Civit. DEI lib. 10. (d) Serm. 24. in cant. (e) Jac. 2. v. 26. (f) Tit. 1. v. 16.

invenies verè christianos. (g) Vox quidem vox Jacob est: nihil magis catholicum quàm verba; manus autem manus sunt Esau: (h) nostræ actiones heu! quantopere ab his principiis abluunt. Solùm insistendo illi Religionis nostræ dogmati, quod eminentem pietatis solidæ super cætera sublimitatem nobis credendam proponit, quodque capitis hujus argumentum est, ô quanta in moribus contradictio regnat! Aliqua solùm fugienti calamo perstrinxisse sufficiat.

Inprimis credimus, curam acquirendæ perfectionis esse negotium verè nostrum, unicè necessarium, principale, maximum, cujus causa à DEO creati, à Christo redempti, à Spiritu Sancto illustrati, & religiosæ militiæ adscripti simus: cui comparata reliqua omnia totius vitæ negotia nugæ dici & crepundia possint. Hæc, inquam, credimus; & tamen hoc ipsum illud negotium est, quod vix non unicè à nobis negligitur; cujus potissimam

(g) Serm. 4. de Epiph. (h) Gen, 27. v. 22.

mam vitæ partem immemores vivimus. Præscriptæ interdiu functiones sacræ, præsertim oratio, lectio, & conscientiæ perscrutatio sunt efficacissimum illud perficiendi remedium; & tamen non est obtentus adeò frivolus, non occupatio adeò vilis, non impedimentum adeò leve; ob quod eæ non differantur, truncentur, omittantur; vel saltem tepidè tantùm ac oscitanter peragantur. Animi collectio, actionum quotidianarum accuratio, usus examinis particularis prorsus insignia virtutis comparandæ subsidia sunt; & tamen ea plurimis vix de nomine sunt nota; adeò eorundem usurpatione obsolevit. Quid autem hoc aliud, quàm discordans à fide sanctitatis neglectio est?

Præterea scientia Sanctorum ejus generis cimelion est, quod unicè à Supremo Numine in pretio habetur, & sine quo profana omnis doctrina inanis umbra & fumus est. Vel unica sui Dei que cognitio, quæ humili idiotæ divinitus immittitur, pluris emi-

nen-

nenter valet quàm perfecta omnium librorum noticia, quàm omnis omnium dæmonum intelligentia. Hanc enim hi ipsi cum omnibus mundi thesauris multa lubentia sine mora prodigerent, si eorum impendio vel unicam ejusmodi gratiam cum annexo gloriæ gradu nundinari possent. Hæc credimus; & tamen beatæ illius disciplinæ æquè parum cupidi ac algebrae vivimus. Divinas ejusmodi motiones, quæ tamen Divinitatis radii & beatitudinis pignora sunt, ob leve commodum, ob vilem gustum, ob nihilum passim temerarii abjicimus, eorumque jacturam æquè parum ac pili æstimamus.

Vah pudor! inutilibus non raro studiis, quibus fors numquam indigebimus, cum damno valetudinis diu noctuque incumbimus; solum cælestis Sapientiæ fastidio laboramus. Æternitatis obliti, de tempore disputamus. Cæli incuriosi terram metimur. Luminis naturam investigamus; & animam tenebris involvimus. In
loci

loci definitionem inquirimus ; quis verò locus nobis à morte sit incolendus , non providemus. Quid qualitas sit & quantitas , profundè exputamus ; quanti & quales nos coram DEO simus , nihil admodùm curamus. Quis tantæ cæcitati non ingemiscat ? Nempe (ùt ait Thomas à Kempis) *oculos habentes , non videmus.* (i) Duplici corde monstra sumus ; dum aliud credimus , aliud agimus.

Equidem (pergit idem Asceta) *non est culpanda scientia , quæ bona est in se considerata ; sed præferenda est semper bona conscientia & virtuosa vita.* Nunquam ob literas spiritus negligendus , nec quicquam ex spiritalibus consuetis actionibus intermittendum est. Secus in abditas syrtes & latentes scopulus certò naufragi impingemus. Id quod idem Auctor asseverat his verbis : *quia verò plures magis student scire , quàm bene vivere ; ideo sæpe errant. Et quia magis eligunt magni esse , quàm humiles ; ideo evanescent in cogitationibus suis.*

(i) De imit. Christ. l. 1. c. 3.

suis. multique pereunt per vanam scientiam in seculo ; quia parum curant de DEI servitio. (l) Unde sic demum concludit : utinam vita eorum scientia ipsorum concordaret , tunc bene studuissent. O si tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia, & virtutes inserendas , sicuti ad movendas quaestiones , non fierent tanta mala & scandala in populo , nec tanta dissolutio in cœnobiis. (m) Sed quia plerumque contrarium evenit, maximæ tempestates , quibus Ecclesiæ navis jactatur , à multum doctis sed parum piis capitibus excitatur. Et certè à nemine plus detrimenti eidem, quàm ab istis infertur.

Et quæso , quid nobis in agone constitutis proderunt omnes scientiæ cum sanctimoniæ præjudicio per vitæ cursum tanto cum labore, vigiliis tantis & curis acquisitæ? Quid proderunt tot libri perlecti? tot adversaria vanis eruditionibus & sententiis infarcita? quid , inquam, proderunt? nisi quod
tunc

(l) Thomas à Kempis de imit. Christ. l. I. c. 3.

(m) Idem ibidem.

tunc sanguineis lacrimis deploraturi
simus nostram hanc insaniam, qua
omnes vires & conatus, quietem &
sanitatem illi rei obtinendæ impendi-
mus, quæ nihil juvat ad beatam æter-
nitatem. contrà verò illud temerè ne-
gleximus, quod unum in hoc rerum
articulo nobis solatio esse posset.

Certè adveniente judicii die (me-
morati Scriptoris verba sunt) non qua-
retur à nobis, quid legimus, sed quid
fecimus: nec quàm bene diximus, sed
quàm bene viximus. Quid ergo prodest
magna cavillatio de occultis & obscuris
rebus, de quibus non arguemur in judi-
cio? An non ergo grandis insipientia
est, neglectis utilibus & necessariis, ultro
intendere curiosis & damnosis? (n) An
non vecordia est, tam solerter præ-
meditari, quid in publica disputatio-
ne nostro antagonistæ opponamus,
& nunquam cogitare, quid illo die
furoris Domini divino Judici respon-
deamus? An non stultitia est, tot ho-
ras & dies, hebdomadas & menses

Pars III.

C

cum

(n) De imit. Christ. 1, 1. c. 3.

cum dispendio pietatis inaniter impendere variis libris evolvendis, & selectioribus inde rebus excerpendis, quæ tamen postea nullo amplius oculo abjecta dignamur; & quæ, postquam aliquot annis nobiscum sine ullo eorum usu & fructu magna cum molestia per provinciam circumtulimus, tandem alicubi inter rejectitias charitas abjicimus. O verè enormem discrepantiam fidei nostræ cum vita nostra! Quis Indus hanc eamque tantam inter fideles possibilem esse judicaret?

O miser! quicumque veritatibus, quas credis, tuis moribus illudis; en! vel unicus supernæ virtutis actus meretur novum gratiæ augmentum: huic pariter respondet novus gloriæ gradus: minimus ejusmodi gradus omnia mundi regna, omnia naturæ, ingenii & fortunæ dona immensum excedit. Proin si jactura unius talis gradus vastissimam Salomonis scientiam unâ cum ejus divitiis regiaque potentia comparare tibi: si summos honores, omnem-

nemque in terris felicitatem obtinere posses; pretiosissimam gemmam, purissimum aurum pro vitro vilique gleba commutares; cum infimus perfectionis gradus tanti res pretii sit, cui nihil in orbe conferri possit, & cui procurandæ labor nullus, nullique sumptus nimii sint. Hæc credimus; & tamen his omnibus nihil abjectius nobis, nihil neglectius est; & quidem eo tempore est, quo aliis crepundiis stulta ingluvie avidi inhiamus.

O Superi! exclamat pius Asceta:
*pro modica prebenda longa via curritur;
 pro aterna vita, pro acquirenda perfectione vix pes semel à terra levatur.
 Vile pretium queritur: pro uno numismate interdum turpiter litigatur: pro vana re & parva promissione diu noctuque fatigari non timetur. Sed pro pudor!
 pro bono incommutabili, pro premio inestimabili, pro summo honore & gloria interminabili; verbò: pro solida virtute vel ad modicum fatigari pigritatur. (o)*

C 2

Quin

(o) Ibid. l. 3. c. 3.

Quin imò cum insigni probitatis injuria etiam in aliis non nisi terrena hæc bona ac naturæ dotes attendimus, & æstimamus: extollimus, & amamus. *Si quis fuerit fortis, (Thomæ à Kempis observatio est) dives, pulcher, habilis, vel bonus scriptor, bonus cantor, bonus laborator investigatur; quàm pauper sit spiritu, quàm patiens & mitis, quàm devotus & internus à multis tacetur. Exteriora hominis respiciuntur, interiora negliguntur. (p)*

Quodque pejus est, pestis hæc non solum per inferiora sacrorum Ordinum viscera, sed frequenter per ipsa etiam eorundem capita grassatur. Dum Superiores subditos his naturalibus donis præditos (licet defectibus scateant) tamen præ aliis religiosæ pietati deditis fovent, laudant, promovent. Quo fit, ut suis ansam præbeant opinandi; quin imò & palam jactandi, virtutem in hac rerum providentia haud amplius esse de pane lucrando: eidem addictos ultima solum subsellia manere:

(p) Ibid. l. 3. §. 34.

re: nativas ejusmodi dotes sanctitudi-
dini à Majoribus præferri; hisque re-
bus apud eos plus momenti inesse,
quàm accuratæ regularum observan-
tiæ. Quo quid aptius à dæmone ex-
cogitari potuisset ad evertendas peni-
tus etiam facerrimas Religiones? Plu-
res practicas vitæ & fidei nostræ an-
titheses vivasque contradictiones hîc
referre supersedeo; cùm ex hæctenus
allatis abunde pateat, quantopere dog-
mata, quæ credimus, & mores, quos
vivimus, à se invicem dissideant, di-
screpentque; & quidem cum ingenti
nostro pudore differant, discordent-
que.

II. Nam quid proderit fratres mei II.
(inclamat Jacobus) si fidem quis dicat ^{Cum in-}
se habere; opera autem non habeat? (q) ^{genti no-}
^{stro pu-}
Quid malo catholico expedit (ait Hiero- ^{dore.}
nymus) divitias habere veræ fidei; si
sapientiam piæ animæ habere neglexerit?
(r) Quid confert, persuasum sibi habe-
re, eminentem esse virtutis solidæ su-
pra cæteras dotes excellentiam; si vi-

C 3

tæ

(q) Jacob. 2. v. 14. (r) In cap. 16. Proverb.

tæ norma non nisi continua ab hac fide dissensio sit, ac illius infidelis neglectus? Quos alios fructus ex emortua hac arbore decerpemus, quam plurimam erubescendi, timendique materiam? cum grandis insipientiæ rei ac improbitatis esse palam convincamur.

Et certè *magna insania est* (inquit ingeniorum suo tempore Phœnix) *Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, dæmones confitentur. Sed longè major insania est, de Evangelii veritate non dubitare; & tamen ita vivere, quasi de ejus falsitate non dubitares.* (s) Ita est: longè major amentia est, vera judicare, quæ de pietatis eminentia dicuntur; & tamen illam ita negligere, ac si divina hæc oracula non nisi poetarum deliria forent. Longè major perversitas est, Christi axiomata nosse, venerari, laudare; & tamen opposita ipsis dogmata sequi.

Edicite

(s) Picus de Mirandola.

Edicite enim ; an non malitiosa stultitia est, credere DEUM infinite bonum ; nec tamen ardentius amare : infinite justum ; nec tamen amplius timere : infinite sanctum, ubique presentem, omnia intuentem ; & tamen in ejus conspectu etiam leviter peccare ? credere, à Servatore veras opes in paupertate, gaudium in pœnitentia, felicitatem in perfectione constitui ; & tamen illam averfari, istas perhorrescere, hanc dedignari ? credere demissionem sectandam, carnem macerandam, voluntatem domandam esse, frangendamque ; & tamen honores, commoda, voluptates tam avidè conquirere, propriumque sensum velut idolum adorare ? Vestram hìc æquitatem appello : *vos ipsi judicate*, (t) num rationi ac probitati consentaneum sit, cum tali fide talem vitam componere ? hæc de Christi disciplina credere ; & tamen ita immemores ejus atque incurios vivere ? *ut prudentibus loquor ; vos ipsi judicate*, (u) an cum regulis prudentiæ congruat, cum san-

C 4

ctissi-

(t) I. Cor, II. v. 11. (u) I. Cor, 10. v. 15.

ctissimis hisce institutis tantum tam-
que continuum teporem, gratiarum
abusum, rerumque spiritualium incu-
riam componere?

O quantopere hanc nostram infide-
lem improbamque dementiam con-
fundit primorum fidelium illustre
exemplum, quorum fides, faviente
olim tyrannide, inter vincula trium-
phabat libera, quæ modò apud nos,
in summa Religionis libertate consti-
tutos, gemit captiva. *Circuierunt illi
in melotis, in pellibus caprinis, egentes,
angustiati, afflicti: insuper ludibria &
vincula experti, lapidati sunt, secti sunt,
tentati sunt, in occisione gladii mortui
sunt. (x) & tamen à cœpto virtutis
tramite nec latum unguem deflexe-
runt: per gladios & sartagines, per
equuleos & catastas, per fluctus &
flammas cœlesti justitiæ inhiarunt. In
fame & siti, in frigore & nuditate, in
persecutionibus & opprobriis Domino ser-
vierunt. omnibus renuntiarunt. nil
de mundo habere cupierunt. corpori ser-
vire*

(x) Hebr. 11. v. 36. & seq.

vire etiam in necessitate doluerunt. (y)
In summa: opere compleverunt, quod
agendum crediderunt.

Et proh pudor! quævis molestia,
minima difficultas vel umbra laboris
à semita perfectionis nos resilire com-
pellit. *Leo est in via: (z) mors est
in olla,* (aa) assuetæ nobis parcemiæ
vel potius naniæ sunt. Verbô: no-
stra omnis vita nil nisi practica fidei
negatio est. Vah! in ruborem nos
det tam vecors summæ rei neglectio.
Pudeat nos non aliam quàm diaboli-
cam habere fidem. Nam teste Marco
etiam *dæmones credunt; quin insuper
& contremiscunt.* (bb) At quia opera
deficiunt, iis hæc fides non salutis
pignus, sed solùm verecundiæ terro-
risque materia est.

O infelix! quæ tua tunc conster-
natio erit, quando olim divinus Ju-
dex fulminanti voce & truci aspectu

C § tibi

(y) De imit. Christ. l. 1. c. 18. (z) Prov. 26.
v. 13. (aa) 4. Reg. 4. v. 40. (bb) Jacob, 2.
v. 19.

tibi dicet: *de ore tuo te judico serve nequam.* (cc) En! *hæc credidisti, & hæc fecisti: hæc tua fides, & hi tui mores.* Quid respondebis? Quid animi tibi erit, quando hæc ipsa tua nunc quidem mortua, sed tunc resuscitanda fides accusatoris vices est obitura? Nam S. Augustini opinio est, eandem aliquando apud DEUM jus suum persecuturam, non quidem contra tyrannos; *sanguis enim Martyrum semen erat christianorum:* (dd) non contra ethnicos; hos enim ignorantia multum excusabit: non contra heterodoxos; *qui enim non credit, jam judicatus est:* (ee) sed contra domesticos fidei, contra pseudo-fideles, contra te, *verbis fidei enutritum,* (ff) litem movebit; contra te, inquam, in quo illa mortua tot annis, & quasi sepulta delituit: qui illam apud alios diffamasti: qui omnem ei apud mundanos æstimationem abstulisti?

Nihil

(cc) Luc. 19. v. 22. (dd) Tertull. adversus gentes circa finem. (ee) Joan. 3. v. 18. (ff) 1. Tim. 4. v. 6.

Nihil enim virtutem apud exteros magis denigrat, deprimitque; nihil eam viliores reddit ac despectiores, quam si eandem vilipendi, negligi- que cernant ab iis, qui vi statûs assiduam ejus culturam profitentur, & quorum vita perenne ac practicum perfectionis studium esse oporteret. Quid autem tristius, quam si illi ipsi degenerent in *petras scandaliz*, (gg) qui debuissent esse *lapides angulares* in domo DEI? (hh) Quid periculosius, quam si *scutum fidei* (ii) transeat in *laqueum diaboli*? (ll) Quid terribilius, quam si salutis præsidium vertatur in accusationis argumentum? Equidem vel ad solam hujus rei memoriam toti pudore suffusi cohorrescimus; & tamen (ô immanem socordiam!) & tamen de vita fidei conformanda non cogitamus.

O Domine DEUS virtutum! (mm)
qui toties discipulis tuis *exprobrasti in-*
credu-

(gg) 1. Petr. 2. v. 6. (hh) Ibid. v. 3.
(ii) Ephes. 6. v. 16. (ll) 1. Tim. 3. v. 7.
(mm) Psal. 30. v. 6. (qq)

credulitatem eorum, & duritiam cordis;
 (nn) ah! da nobis augmentum fidei,
 ut, quam lingua nostra loquitur, tandem
 aliquando etiam moribus vita fateatur.
 Ne permittas, ut dogmata, quæ de
 sanctitatis excellentia credimus, actio-
 num discrepantia denuo inficiemur.
 Potius fac, ut spiritus tui fervore con-
 cepto in fide inveniamur stabiles & in
 opere efficaces. ut, qua Te Auctore fa-
 cienda cognovimus, Te operante implea-
 mus. (oo) Prohibe, quaeso, ne fides
 nostra nobis suspensa è collo asinaria sit
 mola, cujus pondere eò profundius
 usque ad infernum, vel saltem in car-
 cerem lustricum demergamur. (pp)

§. III.

*Cause & remedia hujus, quæ
 intercedit inter vitam & fidem
 nostram, discrepantia.*

QUOD Sol, ille astrorum princeps,
 in hoc rerum universo, id fides
 est in homine christiano. Sicut enim
 ille

(nn) Marc. 16. v. 14. (oo) Ecclesia in ora-
 tionibus missæ, (pp) Luc. 10. v. 15.

ille sua luce omnia illustrat, & ardore cuncta calefacit; ita hæc quoque mira vi intellectum illuminat, ut sciat: & voluntatem inflammat, ut velit agere, quæ agenda esse ejus magisterio docemur. Ut proin meritò à S. S. Patribus animæ ocellus vociterut. Et hinc alastor stygius Ammonitarum regem Naam (a) imitaturus, omni astu allaborat, ut dextrum hunc nobis oculum eruat, vel saltem offusis tenebris ita obscuret, ut actionis expers instar cadaveris iners langueat; probè gnarus, nihil his umbris humano cordi perniciosius immitti posse. Hujus igitur morbi 1. causas investigabimus; 2. remedia afferemus.

I. Duplex hujus ægritudinis origo est, nempe *obscuritas intellectus* ob illustrationis negationem: nec non *perversitas voluntatis* ob appetituum rebellionem. Illa impedit, ne quod rectum est, agnoscamus: hæc prohibet, ne etiam agnitum exequamur: utraque facit, ut nulla moribus cum fide

V.
Hujus
morbi
origo.

con-

(a) 1. Reg. 11. v. 2.

conformitas sit. Ad obscuritatem intellectus quod attinet, facile omnes adstipulantur, hanc mentis noctem infaustam illam scaturiginem esse, cui mortua fides vitæque pravitas suam ex parte genesin debeant. Id enim aperte sacra Pagina asserit, dicens: *defecit sanctus, quoniam diminuta sunt veritates à filiis hominum.* (b) *Ambulant in vanitate sensus sui; quia tenebris obscuratum habent intellectum.* (c) *Evanuerunt in cogitationibus suis; quia obscuratum est insipiens cor eorum.* (d) Ut proin dubium esse nemini possit, hanc divini luminis absentiam hujus, de quo agimus, navi comitans principium esse. Verum hoc difficile captu videtur, quomodo huic caligini in Christianis, præcipuè Religiosis, locus esse possit? in Christianis, inquam, & Religiosis, qui sedent *ad fontem solis*: (e) qui practicas has de virtutis excellentia veritates in libris legunt, è cathedris audiunt, in solitudine meditantur: qui in ipsa lucis regia identidem

(b) Psal. II. v. I. (c) Ephes. 4. v. 17. & 18.
 (d) Rom. 1. v. 21. (e) Josue 15. v. 7.

tidem medii versantur. Hujus igitur mali radices detexisse, operæ pretium erit. Sunt autem sequentes, videlicet

1. Hæ ipsæ functiones sacræ, per quas illustres hæ gratiæ tanquam per canales ad nos defluere deberent, vel negliguntur, vel solùm oscitanter, adeoque sine fructu peraguntur; & hinc etiam lumina, aliàs concedenda, negantur.

2. Dein cùm *ab assuetis non fiat passio*, ut vetus adagium habet; nos verò quandam jam assuetudinem contraxerimus, pia ejusmodi placita dissimulanter audiendi, languidè contemplandi, obiter legendi; hinc fit, ut divina hæc fulgura, quando etiam divinitus immittuntur, animum quidem feriant, parum tamen faucient.

3. Denique cùm horreamus sincere converti, etiam declinamus remedia seriò respiscendi. Nempe amamus morbum, hinc respuimus medicinam: timemus agnoscere malum,
quod

quod corrigere non libet: averſamur illa tonitrua, quæ lethargum excutiunt: odimus illos ſplendores, qui dilectas nobis umbras depellunt: indignamur ſubtrahi pulvinar, cui tam molliter incubamus. Id eſt, nauſeamus illa præſidia externa, quibus uti ſolet DEUS ad nos interiùs illuminandos; dum vitamus illos concionatores, ſeceſſus, libros, meditationes, conſcientiæ arbitros, qui ulceri ungues immittunt, latentes ſub cinere flammas produnt, nidulantes intus viperas detegunt. Verbò: quia nolumus emendari, hinc etiam per hos nolumus illuſtrari.

4. Et quando etiam ſubin redivivos ejuſmodi Saulos nil tale opinantes, imò & invitos *ſubitò de cælo circumfulget copioſa lux*, (f) ita ut clarè cognoscant incomprehenſam virtutis ſolidæ eminentiam pulchritudinemque; quando etiam infixus menti aculeus eiſdem discrepantes à fide mores querulo murmure exprobrat; ta-

men

(f) Act. 22. v. 6.

men agnitæ veritati præfractè resistunt. Et ne fors eidem suaviter victi tandem cedant, varia mox conventicula quarunt, vel negotia assumunt, aut dissipationes procurant, queis accensa in animo fax denuo diffletur, extinguitur, & suffocetur.

Quid ergo mirum, quòd anima etiam Christiana in ipso gratiarum ac illustrationum meridie adeò cæca & tenebricosa permaneat? Quid mirum, quòd etiam Religiosi de practicis hisce Christi placitis instar mundanorum sentiant, & loquantur? Quid denique mirum, quòd Justitiæ Sol apud plurimos nostrum tam constantem ecclipsin patiatur? Nempe omnes viæ præcluduntur, quibus cœlestes radii ad nos deriventur; & hinc anima perpetuò tenebris obvoluta jacet. Ex his patet, quatuor hæc capita primos esse fontes illius *obscuritatis* intellectus, quæ præcipua origo est mortuæ fidei nostræ, adeoque & terribilis illius discrepantiæ, quæ inter hanc nostramque vivendi methodum intercedit.

Altera est *voluntatis perversitas* orta ex vehementia pravorum, qui animo dominantur, affectuum. Licet enim non minus verum sit, cœlorum nobis aditum interclusum iri, nisi nobismet ipsis vim fecerimus; nisi mundi instituta oderimus; nisi inimicos dilexerimus; licet, inquam, hæc non minus vera sint, quam verum est, nos paradiso exclusum iri, nisi sacro baptismatis fonte lustrati fuerimus. nihilominus haud pari facilitate nec æquali promptitudine utrique doctrinæ assentimur. Illis sacræ Paginæ oraculis, quæ solùm ab intellectu assensum exigunt, haud ægrè adeò subscribimus. At verò illa, quæ insuper à voluntate congruentem eis praxin requirunt; quæ vitæ actiones fidei regulis conformari volunt, hæc enim vero difficiliùs persuadentur.

Sic exempli causa, DEUM natura unicum esse, ac Personis trinum: Verbum assumpta carne semet exinaniùsse: Christum in Eucharistia præsentem latere, & quæ his similia sunt; istis equi-

equidem promptiori consensione suffragamur. Verùm beatos esse, qui lument: qui esuriunt, & sitiunt justitiam: qui persecutionem patiuntur &c. (g) *Vae fore divitibus: va, qui rident: (h) va, qui ducunt in bonis dies suos. (i)* quin imò etiam oculum esse eruendum, manum pedemque abscindendum, si animæ offendiculo sint. (l) hæc, inquam, credere: hæc vera profiteri: in his iudicium Evangelio sub jugum mittere; enimvero hoc opus, hic labor est.

Porro tanti discriminis in promptu ratio est; nam priorum fides, solum theórica cum sit, distortas appetitiones non adeò inquietat, amorem proprium non ita infestat, nec adeò molesta sensibus adversatur. & hinc etiam malæ affectiones nostræ his non adeò obmurmurant. At verò posteriora Religionis nostræ dogmata, cum practica sint: cum consentaneam fidei

D 2

opera-

(g) Matth. 5. v. 3. & seq. (h) Luc. 6. v. 24. & 25. (i) Job. 21. v. 13. (l) Marc. 9. v. 42. & seq.

operationem exposcant: cùm, quod creditur, etiam imperent exerceri; hic enimvero conjurati insurgunt omnes rebellis appetentiæ motus; hic amor proprius, caro, & sensus arma corripunt, classicum insonant, ac voluntatem socium in fœdus eò citiùs pertrahunt, quò pronior illa eorundem lenociniis decipi amat, corrumpique. Quo fit, ut princeps hæc animæ facultas miserè perversa, cum iisdem contra tam incommodam sibi fidem pariter conspiret: ut cupiat esse falsum, quod intellectus credit verum; quia horret damnare ùt malum, quod carnalibus oculis arridet ùt bonum: ut perfectionem ideis Platonice annumerando, virtutem solidam ad lunæ incolas amandet.

Et, ne interpellans ratio ludum fors turbet, etiam hanc suas in partes, offusis nebulis, facile adducit. Nam quando cor suorum affectuum aliquando mancipium est, brevè etiam mentem ita fascinat, ut hæc assentando illud judicet rectum, quod cuticulæ

læ est gratum: illudque dicat æquum, quod carni est commodum: ut omnes ingenii exerat vires, ne confictum à se Phantasma veritatis radio dissipetur. Quin imò his non contenta ferociens voluntas, intellectum insuper compellit, ut is sacrilego ausu, alieni se fori quæsitorem constituens, ipsam quoque fidem veluti ream in jus atque ad examen vocare, sibi que summum de ea iudicium arrogare non vereatur. Cùmque in hoc tribunali non alia quàm pravorum motuum suffragia rogentur; quid mirum, quòd cœlestis hæc virtus, terra iudice, causa cadat? quòd exulare ea, vel saltem in animi angulo obscura, otiosa, semimortua latere, & elinguis tacere iubeatur? Dum interim amor proprius, dictatorem agens, Christi axiomata suam in rem interpretatur, Evangelii rigorem mitigat, pietatem genio seculi accommodat, spiritum DEI spiritu mundi vafre temperat; & amicam quoddam pactum conventumque lucem inter & tenebras, Arcam & Dagon, Christum & Belial, gratiam &

naturam componere tentat. Ex hac autem rerum tam dissimilium commixtione, quid aliud quàm monstra nasci, & continuæ mores inter & fidem repugnantiaè possunt? Quis igitur neget, appetituum rebellionem, & ortam inde voluntatis perversitatem alteram languidaè, corruptaè ac profli-gataè fidei nostræ scaturiginem esse?

Ipsa infidelitatis, idololatriæ ac hæ-resis repetatur origo, nec alia eorum fuisse principia innotescet, quàm hunc ipsum vitiorum in dictam animæ vo-luntatem dominatum. Sic ex. gr. in-ter Judæos (ut refert S. Joannes) *mul-ti ex principibus crediderunt in Chri-stum, sed propter Phariseos non profite-bantur.* (m) quæ causa hujus simula-tionis? superbia fuit vanusque homi-num respectus; *dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam DEI.* (n) Illi ipsi Ethnici, quorum luxuriæ, am-bitioni & avaritiæ mysterium crucis teste Apostolo *stultitia* fuerat, (o) haud

(m) Joan. 12, v. 42. (n) Ibidem. (o)
1. Cor. 1. v. 23.

haud repugnanter Jovi adultero, furaci Mercurio, libidinosæ Veneri thus adolebant; quia horum flagitia amabant. imperans eis affectio, princeps horum numinum sacrificulus erat.

Etiam hæresis, licet sedem suam habeat in intellectu, suum tamen ortum & progressum cordis nequitia debet. Ex affectuum vitiositate tanta dogmatum improbitas diversitasque profecta est. Libidini, invidia, furori emerisæ recens ex orco sectæ suum horoscopus in acceptis referunt. Systema novæ religionis semper erat partus cujusdam effrenatæ cupiditatis.

Quin imò etiam inter Catholicos non paucos reperire est, qui (ut Apostolus ait) *veritatem DEI in injustia detinent*: (p) quorum fides mortua est; quia in ipsis vetus homo nimium vivit. Non credunt eo, quo par est, modo; quia nolunt: & ideo nolunt; quia facere renuunt, quod agendum sciunt. Liberè dubitant, ut liberiùs

D 4

agant:

(p) Rom. 1. v. 18.

agant: timent illustrari, quia horrent emendari. Sanari quidem orant, ita tamen ut exaudiri timeant: quærere se fingunt, quod invenire non cupiunt. Et en! horum omnium causa appetitionum rebellio, enataque inde mentis corruptio est. Sicut enim auctore Augustino *difficile est, ut malè vivat, qui bene credit; (q)* ita vix possibile est, ut bene credat, qui malè vivit. Ex his patet, voluntatis *perversitatem* unà cum intellectus *obscuritate* hujus tam enormis, quam deploramus, discrepantiæ venenatam radicem esse.

II.
*Ejusdem
remedia.*

II. Porro *primum*, quod grassanti huic malo opponamus, antidotum est fidelis divinæ lucis usus, ac tumultuantis appetentiæ victrix coërcitio. Hoc enim præsidio exitiosæ illæ mentis tenebræ ex intellectu fugabuntur; à voluntate verò noxium illud perversionis periculum arcebitur. Utraque autem facultas aptior reddetur ad melius cognoscenda fidei nostræ scita, eaque in usum promptius deducenda.

Quem

(q) Serm. 237. de tempore.

Quem in finem plurimūm conducent illa, quæ Parte I. Cap. III. & IV. de abusu gratiæ, & dominante nobis appetitu fuerunt disputata. Ut proin plura de his eadem de re hîc addere supervacaneum sit.

Alterum pellendo huic morbo remedium est frequens exercitium actuum fidei circa practicas Religionis nostræ materias statutis temporibus sedulò frequentandum, præcipuè tunc, quando tepor aliquis irrepere aut focors rerum spiritualium negligentia invalescere tentat; tunc enim omnino consultum erit, ut ardenti affectione dicamus: *credo Domine! propter tuam id attestantis auctoritatem, credo beatos esse, qui esuriant, & sitiunt justitiam: unicum virtutis actum omnes mundi thesauros immensum excedere. Credo curam animæ, studium perfectionis esse negotium omnium maximum, unicè necessarium, omnium utilissimum. Credo vanitatem vanitatum, & omnia vanitatem esse, præter amare DEUM, & illi soli servire. & quæ alia his affinia sunt.* Ejusmodi enim affectus præci-

puè frequentiores si sint, sinistras de sanctitate ideas facile depellent, obiectas difficultates levi brachio vincent; adeoque impiam illam vitæ à fide disensionem providè impedient.

Tertium contra hanc pestem præsidium est conceptum firmissimè propositum, temporario subinde voto firmandum, consuetas exercitationes sacras quavis die *ferventer, integrè, & constanter* explendi: sine urgente eaque gravissima ratione illas nunquam omitendi, nec differendi, aut decurtandi; sed destinatum his spiritûs exercitiis tempus sacrosanctum habendi: quidquid eorum integritati defuerit, quamprimum ac licuerit, summa cum acuratione supplendi. Et quamvis lethale non est, grande tamen nobis ac majoris notæ piaculum sit, ob studia vel alia quæcunque negotia dictum hoc mentis decretum foedifraga temeritate infringere.

Maledicta sit illa scientia, diris devotum sit illud negotium, quæ, vel
quod

quod cum neglectu virtutis functionumque religiosarum acquiritur, aut perficitur. Eadem sorte, qua montes Gelboe, involvantur; *nec ros gratiæ celestis, nec pulvis divinæ benedictionis veniant super ea.* (r) æterno anathemate feriatur illud studium: nigrum theta inuratur illi actioni, cui cum dispendio rerum, quæ spiritum concernunt, vacatur: illud munus & officium, ille labor & curæ, illa opera & solertiæ, quæ cum detrimento pietatis obeuntur, vel adhibentur, successu careant, laude destituantur, variisque casibus adversis turbentur, impediuntur, antiquentur.

Et profectò (quæ iusta Numinis ultio est) experientia teste plerumque scientia illa, ob quam sanctitas negligitur, despecta virtute, vel non acquiritur, vel acquisita morbis denuo perditur, vel certè DEUS talis hominis doctrina ad promovendam suam gloriam non utitur. Quid? quòd hic ipse DEUS reliquis pariter occupationibus cum sancti-

(r) 2. Reg. 1. v. 21.

sanctimoniam præjudicio susceptis, diversis mirisque viis adversari gaudeat? cum ejus oculi pupillam lædat, qui istis animæ profectum non præhabet. Hac ergo poena ne etiam nos castigemur, præscriptæ occupationes piæ primas semper sibi curas vendicent.

Quarto denique cum viva hæc divinaque fides singulare sit munus cœli, illud ferventi prece & frequenti gemitu à Patre luminum est exorandum, clamando nunc cum illo cæco: *Domine, ut videam!* (s) modò cum Apostolis: *adauge nobis fidem!* (t) Quæ quidem in re magno aliqui errore ducuntur, dum judicant, hanc margaritam non secus ac dona linguarum, vaticinationum, lacrymarum, discretionum nostrum omnem conatum meritumque excedere. quo fit, ut illa æquè faciles careant, ac gratiâ patranda prodigia. Mirantur quidem heroicam hanc & practicam in Sanctis fidem: optarent & illi eadem beari:

(s) Luc. 18, v. 41. (t) Joán, 17, v. 9.

ri: cuperent & ipsi ejusmodi magnis illustrationibus ditari; & interim complicatis desideris brachiis otiosi perstant, miraculum è cœlo sperantes, ac æmulantes illum pigrum, *qui abscondit manum suam sub ascella*, quemque morbida segnis animi *desideria occidunt*.
 (u) Instandum, conandum, laborandum est, cœlique fores ingenti cum fiducia pulsandæ; nam (quod Christi promissum est) *dabit Pater de cœlo spiritum bonum petentibus se.* (x)

His tribus præsiidiis muniti, geminum illud, quod persequimur, malum facile depellemus, nempe *obscuritatem* intellectûs, & *perversitatem* voluntatis, quæ tum ob sublationem illustrationum, tum ob rebellionem appetituum enormis illius, quæ fidem inter vitamque intercedit, dissensionis triste principium sunt. Ea igitur in posterum memoriæ commendata, in consuetudinem diligenter deducamus. Secus timeamus, ne nobis fides nostra,

(u) Prov. 19. v. 24. & cap. 21. v. 25.

(x) Luc. 11. v. 13.

stra, quæ debuerat esse scala ad cœlum, fiat præcipitium ad orcum.

Time, quicumque hæc legis, ne idem ipse Servator, qui olim illi cæco dixerat: *vade, fides tua te salvum fecit*; (y) etiam tibi aliquando denunciaret: *ito, fides tua te damnavit*. Nam (ut ait Augustinus) *christiani nominis non facit sola dignitas Christianum; nilque prodest, quod Christianus voceris nomine, si hoc non ostendas in opere*. (z) Et hinc Hieronymus, hac veritate perculsus, supplici gemitu exclamat: *ô Christe Jesu! memini te olim illis duobus cæcis dixisse: secundum fidem vestram fiat vobis*. (aa) *Ah Domine! hanc vocem tuam ego audire nolo: fiat tibi secundum fidem tuam; si enim secundum fidem meam fiat mihi, peribo*. (bb) O! Superi! si hæc Hieronymus, ille fidei defensor, columen & exemplar; quid nos eloqui, ac pertimescere par est? nos, inquam, quorum mores practica fidei negatio sunt?

(y) Marc. 10. v. 52. (z) Serm. 38. de tempore. (aa) Matth. 9. v. 29. (bb) Dialog. adversus Luciferianos.

sunt? Da ergo, ô sanctitatis amator
DEUS! ut allatis rationibus convicti,
ipsa deinceps vivendi norma ostenda-
mus, nos verè credere, eminentem
virtutis excellentiam esse.



CAP. II.